

& difficile, illudque vel nigrum, vel liuescens. Dabunt & in hac pleuritide suas notas causæ, & similitu-  
dines, ut in alijs. A qua verò causa humores sint commoti, partim ex his, quæ præcesserunt, partim etiã  
ex impressionibus in corpore factis intelligemus. Si quis in acre frigido hoc morbo fuerit correptus,  
colligemus ex compressione fluxionem, & inflammationem excitam fuisse. Adstricta præterea, & de-  
fata quodammodo cutis sepultaque magis ab initio febris in his apparet, qui ob frigus externum la-  
borant. Eodem pacto cognosces an à calore partis affectæ, vel alterius; an ex fusione, uel expulsionem,  
uel dolore, uel ex alia tandem occasione sit ortum malum. Qui enim nouerit, quid singulæ occasiones  
præstare possint; is facile quod in hac re querit, inueniet. In qua uerò parte, siue tempore pleuritis  
sit nunc tradendum est. docebunt autem id eadem genera signorum: tunc enim Principium adest,  
quando pars fluxione repletur, dolorque fieri incipit, & febris, tussis, nihilque ad huc expuitur, & re-  
liqua symptomata, quæ superius recensuimus adsunt quidem, sed nequaquam euidenter augentur:  
tunc enim incrementum incipit, quod tamdiu durat, donec paria omnia videantur, quo tempore iã  
uiget mobus, quem postea declinare ostendunt ea symptomata, quum iam remittuntur. Præbent  
nonnulla indicia in hac re causæ iuuantes, & lædentes. Quæ enim iuuant præsidia, aut lædunt morbū,  
potissimum dum in principio est, aut in augmento, vel in alio tempore, docent præsens esse quod  
querimus. Atque hæc quidem consentiunt suis principijs; à quibus plurimum recedunt, qui pleuriti-  
dem tunc vigere tradunt, quando multa, & concocta expuuntur, tunc enim minui materiam, sympto-  
mataque omnia necesse est, quod declinationem ostendit, sed hæc diligentius alibi prosequuti sumus.  
Quapropter ad ea properandum est, quæ quod futurum est in pleuriticis, præfagiunt. Qua quidem  
in re primum trademus, quem finem sit habitura pleuritis, deinceps notas trademus, quæ præfagient  
tempus solutionis, modum, authorem, qualitatem, media, locum, ordinem; hæc enim ad prædicandū  
rationem pertinent. Itaque quum perimant morbi, qui aded à naturali statu hominem destrahunt, ut  
nullis remedijs coerceri possint; huiusmodi recessum, aut minorem ostendent signa à superioribus  
fontibus ducta. Nam magna inflammatio, febris admodum vehemens, pulsus frequentissimi, durissi-  
mi, difficilis admodum respiratio, delirium continuum, animi defectus; adhæc cohibitum sputum,  
aut paucum, quod cum difficultate reijcitur, & illud viride, uel nigrum, rotundum, viscosum, admodū  
ænuue, uel crassum impermixtum; sic & urinæ, uel suppressæ, aut quæ emittuntur nigræ, olaceæ, liui-  
dæ, confusæ, tenues, uel crassæ admodum, sudor præterea, aluique fluxus ab initio, præsertim si de-  
ijciantur liquida, aquosa, grauius olentia, mortem præfagiunt. Eodem pacto color corporis, & aliæ  
qualitates plurimum à naturali statu mutata, mortis sunt indices; necnon causæ quæ morbum intu-  
lerunt, si magnæ aut malignæ fuerint, quæ autem resistere, iuuareque debent infirmæ, corporisq; habi-  
tus durior, ad transpirationemque ineptus. Si præterea multus humor, aut malignus, aut varius pleuri-  
tidem facit; si pars affecta densa, crassa, infirma, si item nulla profunt auxilia, nec etiam maxima, de vi-  
ta admodum uerendum est, augebitque timorem, si fortè lethales grassentur pleuritides. Contraria au-  
tem his indicia salutem pollicentur. Quod si paria fuerint, aut certe non admodum inæqualia bona  
malis signa, dubium portendunt euentum. Cæterum tempus solutionis eadem signa docebunt; quæ  
enim parua est, benignaque pleuritis, quamque pepererunt leues causæ; iuuant uerò uel leuissi-  
ma remedia, pauca uerò obsunt, quæ nocere sunt nata: si præterea subsunt vires validæ, nec desunt  
commoda præsidia, salus propinqua est. Sed certiora præbent in hac re indicia effectus, quam  
essentia ipsa, & causæ. Nam si facilè & ab initio incipit expuere, qui laborat, & ea, quæ ex-  
puuntur qualitibus, & quantitate respondeant, maximè si perpetuo cocta excernantur, quarta, uel  
septima die salutem, aut declinationem morbi euidentem expectare oportet. In lethali uerò contra-  
ria ratio contrarium euentum ostendet. Vetum quoniam ratione febris aliquando moritur æger, ali-  
quando uerò ipsius pleuritides, nonnunquam autem ob utriusque causam; id deprehendes ex eisdem  
fontibus signorum. Nam si pleuritidis accidentia minuuntur, augentur autem quæ febrem sequuntur  
quod contingit, quum benigna erat materia, & pauca, quæ pleuritidem excitauit, multa autem, & mali-  
gna, quæ febrem ipsam peperit, huius profecto nequaquam uerò pleuritidis ratione homo extingue-  
bitur. At si febris non admodum molestat, crescant autem pleuritidis symptomata, ex hac homo suffo-  
cabitur. Par autem habebunt illa momentum ad mortem inferendum, si æqualiter hominem infe-  
stant. Licebit & à causis & ab essentia cuiusque, & à similitudine hic quoque notas petere. Cæterum  
modum ipsius mutationis docebit natura ipsius affectus; finitur enim paulatim pleuritis, quoniam  
necesse est humorem concoqui, deinde paulatim per sputum educi. Quod si per digerentia, uel ea, quæ  
sensibiliter uacuant, solutio contingat, confertim etiam fieri poterit mutatio. Quod si in peripneumo-  
niam transit, nonnunquam subito id fit, quum scilicet humor facilis est ad motum, & pulmo ad susce-  
ptionem aptissimus, nonnunquam uerò paulatim id contingit; quando scilicet contraria adsunt. At  
si suppuretur, non nisi paulatim pus repurgari, & affectus solui potest. Idem monstrabunt causæ, effe-  
ctus, & similitudines. An uerò artis, uel nature beneficio, uel utriusque opera finiatur, quod est autho-  
rem mutationis præfagire, nunc doceamus. Itaque quum leuissimos affectus sola natura vincere so-  
leat, alios uerò non nisi adiuuta à nostris præsijs, non immerito id ostendent, quod querimus indi-  
cia